DE CONTAGIONUM ACTIONE IRRITATIVA ET DE REMEDIIS...

Giovanni Francesco Capretta

DE CONTAGIONUM ACTIONE IRRITATIVA ET DE REMEDIIS ANTANACRASIACIS ET ANTEDELITESCENTIBUS ANIMADVERSIONES

QUAS

ASSENTIENTIBUS MAGNIFICO DOM. RECTORE

AC

PERILLUSTRI FACULTATE MEDICA

CELEBERRIMI ET PERVETUSTI

ARCHIGYMNASII PATAVINI

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA RITE ADSEQUENDOS

MENSE AUGUSTI AN. MDCCCXXV

RECITAVERAT

JO. FRANCISCUS CAPRETTA

CONELIANENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXV.

Praeclara aliorum studia, et *qualescumque in promovendis scientiis conatus*, sicuti indignum est docto et honesto viro deridere, ita plane tum reipublicae, tum felici scientiarum progressui summopere noxium. Constat id potissimum in re Medica etc.

(Baglivi Prax. Med. Cap. I. Imped. I. § I.)

VIRO PERILLUSTRI
ET PRAECEPTORI PRAESTANTISSIMO
EQUITI

VALERIANO ALOYSIO BRERÀ

M. ET CH. D.

SACRAE CAESAREAE AP. M. A CONSILIIS GUBERN.
IN CAESAREO REGIO ARCHIGYMNASIO PATAVINO THERAPIAE
SPECIALIS ET PRAXEOS CLINICES PROFESSORI P. O.
PATHOLOGIAE ET MEDICINAE FORENSIS
ARCHIGYMNASII BONONIENSIS PROFESSORI EMERITO,
SOCIETATIS ITALICAE SCIENTIARUM MUTINAE FLOR. XL. VIR.
C. R. INSTITUTI ITALICI, ACAD. C. R. MEDICO-CHIRURG.
JOSEPHINAE VINDOBON. SOCIET. ALIARUMQ. SODALI ec.

JO. FRANCISCUS CAPRETTA
DISCIPULUS AMANTISSIMUS
F.

Oratiunculam hanc Tibi nuncupaturus idipsum facere mihi videor, quod minora solent flumina, quae mari, a quo acceperunt, tributarias restituunt aquas; nec donum mare dedignatur. Laeta igitur fronte hanc Tu quoque

excipe tenuem quidem at ingenuam grati et venerabundi animi in Te mei significationem: neque enim magnanimi Viri servulorum munuscula, licet exilia, despexerunt umquam; neque is ego sum qui majora Tibi et doctrinae Tuae convenientia queam afferre. Faxint Superi ut Medicinae bono, Scientiarum incremento, meique et patrocinio, quod vehementer imploro, et ornamento incolumis quam diutissime vivas.

Inter innumera, Praeceptores amplissimi, quae vel provida natura suggesserit, vel humana industria comparaverit remedia, quaedam reperiuntur substantiae, quarum usu et opera videtur contagionum in humano corpore actionem averti quodammodo atque impediri posse. Hoc videlicet faciunt hujusmodi res ne contagiosa principia in corpus obrepant, vel semel introducta ne cum variis elementis, quae textus nostros componunt, ineant affinitatem et reproducantur: quod si nobis prospero fato liceat assequi, aut nulla evolvetur contagiosa affectio, aut mitior valde erit contagii decursus.

Facile hinc in duas quasi partes haec remedia dispertiuntur; *alia* nimirum contagionum compositionem recta adoriuntur; *alia* contagionum jam susceptarum actionem physico-chemicam infringunt, conditiones quasdam perturbationesque in organismo suscitando, quibus fit ut opportunitatem, quam vocant, ad physico-chemicos destru-

ctionis processus subeundos vel penitus, vel maxima saltem ex parte organici textus amittant. Priora *antanacrasiaca*, posteriora, utpote quae in delitescentiae stadio adhibentur, *antedelitescentia* nuncupamus.

Quemadmodum vero omnes illae res, quae vel corporis nostri superficiei admoventur, vel intrinsecus assumuntur, quamdam exserunt supra partes, quibus construitur corpus, suam sibi propriam actionem, hinc etiam haec nova antedelitescentium classis peculiari pollet ac paene dicam specifica virtute, quam neque stimulantem, neque deprimentem, sed perturbantem potius sive irritantem esse crediderim.

Quum igitur tum contagionum, tum horum remediorum agendi ratio irritativa sit, licet nullus exstet, nisi in meridie caecutire velit, qui nostris hisce diebus conditionem irritativam in quamplurimis morbis non agnoscat, libentique animo admittat; tamen quaedam de irritatione tam pressis quam potero verbis ad clariorem rei illustrationem praeponere in animo est, eaque a Dissertatione, quam egr. condiscipulus M. Fua (1) medico-chirurgica laurea honestandus operibus dilectiss. Praecept. Eq. V. A. Brera innixus (2) elapso anno evulgaverat, magna parte decerpta, ut ad remediorum praesertim antedelitescentium expositionem viam mihi recludam.

Ob mixti organici conditiones varias in variis diversorum textuum et organorum circumstantiis stat in unoquoque individuo diversa *modalitas*, sive *capacitas*, qua specifice affici potest ab externis potentiis non modo diversis, verum etiam a consuetis in variis tum prosperae tum adversae valetudinis periodis. Inest praeterea cuicumque organo et textui vis propria sive facultas ea assimilandi principia, quae affinia sunt, ea rejiciendi, quae heterogenea, se se per quorumdam stimulorum actionem blande incitandi, et moleste per alios perturbandi: a priorum stimulorum excessu vel defectu *incitamentum*, ab actione posteriorum *irritamenta* varia originem ducunt. Vitales reactiones incitamentum constituentes ab exsistendi, agendi et sentiendi modo solidi vivi a primis incitati, irritamenta vero ab assimilativo dynamico sensu in solido vivo promanant a posteriorum actione illata, quae ad irregulares et saluti infensas cogit oscillationes. Hypersthenia inde atque hyposthenia vitia habenda sunt reactionis vitalis plus minusve in textubus variis ab aucta vel imminuta affinium stimulorum actione incitatae; irritamenta reactionis ipsius vitia sunt ab heterogeneis potentiis male affectae, quae irregulares suscitant oscillationes in variis textubus variisque organis varias.

Ex dictis sponte fluit phaenomena irritationis

non solum ab irregulari conditione mixti organici diversa in diversis organis ac systematibus, verum etiam a natura stimulorum pendere. Praeternaturalis itaque stimulus, eadem permanente organici mixti naturali conditione, irritamenti phaenomena proferet, et e contra perturbata conditione mixti organici, etiam iisdem agentibus consuetis et naturalibus stimulis, eadem phaenomena in conspectum venient. Huc vero minime spectant quae aetatibus, peculiaribus conditionibus atque idiosyncrasiis individuorum sunt propria.

Si conditio irritativa eminet, pluribusque in textubus organicis ac in fluidis dominatur, *diathesis* construitur *irritativa;* sin autem circumscribitur uno in systemate vel textu vel organo, quamquam per irradiationem praeternaturalem ad alia quoque propagetur organa, *actionis irritativae* cognomento designatur. Quare *conditionis irritativae* vocabulo generico perturbamenta omnia sive localia sive generalia vitalium manifestationum intelligi volumus.

Ut meliorem in modum irritationis explanetur doctrina, haec tria constituenda videntur.

I. Irritativa actio ab aliqua irritante potentia vel mechanica vel chemica, aut a quodam assimilativo dynamico vitio in aliquo organo aut systemate potest proficisci, unde habitus consequuntur morbosi.

II. Hujusmodi actio irritativa variat summopere non solum propter perturbationis gradum et vim irritativae potentiae, sed juxta varietatem individuorum, eodemque in individuo juxta dispositionem et partis affectae sentiendi facultatem.

III. Actio irritativa potest simplicia expromere phaenomena morbosa consensualia, quae vel evanescant, ablata causa irritante, vel propter vehementiores effectus in organismo productos a proxima ejusdem partis affectione, nempe propter functionum praecipuarum et vitalium manifestationum perturbationem, ablata etiam causa, persistant atque perseverent ita, ut de diathesi irritativa nullus subsit dubitandi locus; quod postremum tribus potissimum modis contingit, nempe vel ob irradiationes morbosas a parte affecta ad alias organismi partes, .quarum inde functiones et actiones ita perturbantur, ut universalis fiat irritativa conditio; vel ob principia pravae indolis, uti pus, in parte proxime affecta evoluta et in circulum ceteris immixta humoribus deducta; vel demum ob summam affecti organi praestantiam in assimilativis functionibus, unde prava dimanat humorum et praesertim sanguinis assimilatio.

His, quae in citata Dissertatione inaugurali luculentius sunt exposita, haec addam. Jam cognitum est atque in aprico positum, uti superius

adnotavimus, irritationis phaenomena non modo abnormi mixtionis organicae conditioni in diversis textubus, verum etiam stimulorum, qui iisdem applicantur, naturae suum ortum acceptum referre. Quemadmodum vero tam multiplices et varii sunt stimuli, neque eadem profecto est in unoquoque textu mixti organici assimilatio, patet inde hujusce assimilationis perturbationes innumeris prope modis in singulis textubus atque organicis systematibus variare posse; ex quo conficitur ut irritamenta ipsa vel irritativae conditiones et multifarios agnoscant fontes, et multifariis hinc rationibus nostris oculis manifestentur. Plures revera per Medicorum studia nostro praesertim tempore ad perfectionis fastigium altius evecta, plures, inquam, harum perturbationum in assimilatione organica introspectae mirum in modum fuere; verum longe plures admodum in naturae majestate delitescunt. Utinam quidem agnosceremus omnes! De morborum natura tunc fidentius loqueremur, morbosque ipsos breviori aggrederemur atque tutiori via. Qui hucusque cognoscuntur irritationis fontes, praeter quasdam substantias sive alimentares, sive noxias, sive medicamentosas extrinsecus admotas vel interius assumptas, ii certe quoad assimilationis organicae perturbationem habentur in sic dictis habitibus morbosis, quos nonnullis *discrasias* vocare

placuit, nec non in omnibus contagionibus, quarum singulae peculiaria edunt et sibi propria in organismo nostro phaenomena. Egr. ipse Giannini de effectibus disserens a contagiosa materia productis in suo opere De febribus (3) haec habet: » Sia che questa materia stimoli o non sti-
» moli, sia che sdegnando queste divisioni, nei
» cui confini abbiam voluto restringere l' opera-
» zione di tutti gli agenti, eserciti un tutt' altro
» modo di azione ancora ignoto, ciò ch' è ren-
» duto probabile da una quantità di fenomeni ad
» ogni materia contagiosa particolari ed esclusivi,
» certo è che la suddetta materia introdotta una
» volta nel sistema vivente vi si riproduce ec. ».
Quis quaeso, hisce in verbis irritantem contagionum actionem non ambiguo modo adumbratam non videt? Quum autem exstiterint, qui typhum contagiosum, variolas, morbillos, scarlatinam et hoc genus alia esse morbos arbitrati sunt diathesis inflammatoriae, quod etiam contendit clariss. ceteroquin Bononiensis Prof. Tommasini, apte nobis incidit sermo de discrimine quod inflammationem ab irritatione sejungit. Rem omnibus absolvere numeris non mihi arduum foret, si auctorum nonnullorum, qui de hac re optime meruerunt, vellem sententias in medium adducere; hoc vero vetant speciminis limites, nimisque profecto grave onus recusant humeri.

Placet tamen quae Felix Paglianus (4) hac de re habet, afferre: en ipsissima verba: » Status phlogisticus interdum peculiari in parte ac sede circumscribitur, eumque demonstrant partis calor » aestusque major, quem saepe dolor comitatur, » pulsusque arteriarum inassuetus: si tamen hic » status vehementior fuerit, facile communicatur » corpori reliquo, fitque universalis. Si partem » humani corporis oculis obviam phlogisticus sta- » tus occupet, praeter recensita phaenomena tu- » mor et rubor adsunt in parte affecta. Phlogo- » sim autem veram, activam, hypersthenicam, nisi » levissimam adesse posse in parte aliqua sine » universali diathesi hypersthenica vix credimus; » quod dum asserimus, statum irritativum localem » partium a topico irritamento inductum sollicite » a phlogosi distinguendum volumus: quoad enim » simplex irritatio est, morbus localis esse pot- » est; quando jam phlogosis adest, jam subesse » diathesim aliquam universalem hypersthenicam » omnino videtur probabile. Irritationem porro lo- » calem illum statum dicimus, cui finem impo- » nit ipsa causae irritantis sola remotio, et bre- » viuscula deinde tempore a consuetis etiam sti- » mulis adhibita cautela; irritatio absque conspi- » cua partis conditione pathologica adesse potest; » non potest phlogosis, cujus diagnosis, quae sub » oculos cadit, a conditione pathologica et forma

»praecipue desumitur, neque phlogosi curandae »causarum sola remotio sufficit: postquam enim »semel processum suum inchoavit, ad agmen ve»nit, et suarum alterationum alterutram subit, »quin fere in medici potestate sit reddere bre»viorem. Si quis tamen irritationem localem ve»luti minimum incipientis, et ne dum inchoatae »dixerim phlogosis gradum accipere velit, mul»tum nos repugnantes non inveniet....» Licet Paglianus non nisi actionem topicam irritativam admittat, consideretque quasi levissimum phlogoseos gradum, et quaedam habeat, quibus censoriam notam fas esset inurere; tamen irritationem inter atque phlogosim discrimen nisi exacte introspexisse, indigitasse saltem videtur. Nos interim ad causam inflammationis proximam ejusque genesim animum aliquantisper appellentes ad rem propius accedere haud dubie posse confidimus. Boerhaavius non satis umquam commendatus rerum medicarum scriptor, jam monuerat eam in partem sanguinem uberius affluere, quam irritatio fatigat, hisce verbis: *Ubi irritatio, ibi sanguinis affluxus;* quod quum dicimus, sanguinis congestionem intelligimus, non vero inflammationem veram atque hypersthenicam, quae ut contingat et evolvatur, praeter sanguinis affluxum haec duo requiri videntur momenta; nimirum partis affectae capillaria vascula in debilitate *re-*

lativa versentur oportet, partisque ipsius sensibilitas major fiat atque exquisitior necesse est. Quare irritationem, sive partium quarumdam aut textuum organicorum irritativam conditionem toties autumamus in phlogosim posse permutari, quoties sensibilitas affectae partis augeatur et major evadat. Est itaque irritativa conditio, uti Paglianus dixit, quidam quasi gradus ut ad inflammationem perveniamus, est veluti causa praedisponens, quae non nisi excitantis causae, adauctae nempe sensibilitatis indiget, ut omnia phlogoseos phaenomena manifeste proferat.

Haec vero nunc pro re nostra de irritatione sufficiant: tandem ad contagia deveniamus. Contagia solent primum quum vasorum lymphaticorum systema in praedisposito homine ingrediuntur, simplicem irritativam actionem suscitare, quae deinde, malo pedetentim increscente, in diathesim irritativam facile convertitur. Turbae morbosae, quae in primis sub oculos cadunt, sympathicae omnino sunt; non enim adhuc contagium affinitatem inivit chemicam cum variis nostrorum textuum elementis. Huic, quod *invasionis* stadium audit, *eruptionis* insequitur periodus physico-chemico animali processu a suscepta contagione provocato designata, sub qua si communes accedant potentiae nocentes ad diathesicum statum evolvendum aptae, diathesis quoque erumpit, vel

saltem actio diathesica. Non inficiamur hinc conditionem inflammatoriam in morbis contagiosis non raro supervenire, et localem phlogosim ab irritatione locali interdum posse produci; quod quum asserimus, longe abest, ut clariss. Tommasini sententiae assentiri videamur, qui quum ibi hypersthenicam diathesim agnoscat, ubi processus viget serpitque inflammatorius, et localem effectum a contagiis supra viventes textus suscitatum in vero reponat inflammatorio processu, omnes contagiosas affectiones hypersthenicae plane indolis facit atque naturae. Interdum enim omnia tum phlogoseos vel universalis vel localis, tum hypersthenia desiderantur signa, quin imo hyposthenica explicatur dominaturque diathesis, et nihilo tamen secius contagiosus morbus sua stadia regulari modo peragrat. Qua de re phlogosis si adest in morbis a contagio enatis, ceu complicationem, ut dicunt, habendam absque dubio esse pro certo tenemus.

Quum physico-chemici processus occulto modo atque subdole exordiantur in textubus a contagiosis principiis primum affectis, neque se se prodant atque aperte manifestentur nisi postquam universum jam aggressi fuerint organismum, nos cum eximio Praeceptore nostro (5) *delitescentiae* nomine salutamus illud temporis spatium, sub quo hujusmodi processus clanculum concinnantur

in intimis organismi partibus, ut tandem ad exteriora delati se se patefaciant, omnemque morbi gravitatem praenuncient. Atque haec ea praecipua est morbi periodus, in qua *antedelitescentia* et expostulantur et magno cum fructu adhibentur remedia.

Hoc in doctrina contagionum ratum probatumque habemus, organicam assimilationem textuum ab actione contagii affectorum turbari, atque serius ocius in destructionem abire, elementaque sub hoc physico-chemico processu destructa per vegetantem arteriarum processum ab irritativa vi actuosiorem factum plus minusve resarciri atque compensari; quae postrema vegetativa operatio si forte ob pravam et perniciosam organismi conditionem languescat, impar omnino evadit ad reparandas assimilationis jacturas in textubus a contagio tentatis. Quum clinici medici officium sit praecipuum, ut morbos omnes non solum apta ratione curet, verum etiam mitiores reddat, vel si factu possibile est, jam ab exordiis compescat reprimatque, omnem certe operam studiumque adhibeat omne in contagionum curatione necesse est (quae passim grassantes tantas interdum afferunt neces!), ut simul ac percipit contagium aliquod in corpus irreptum clandestinas nostrae incolumitati insidias moliri, haud mora, ea omnia in usum deducat praesidia, quibus physico-che-

micae contagii operationes in reproductiva textuum assimilatione, quantum fieri potest praecaveantur. Huc quidem spectarunt celeberrimorum virorum studia, hoc sibi Medici nominis fama clarissimi proposuerunt, hanc demum clinici recentiores assequuti sunt metam quorumdam remediorum ministerio, quae systematum atque hypothesium hac illac erumpentium seducens strepitus et praeposterae vulgi opiniones oblivione identidem magno cum aegrotantium artisque medicae detrimento obruerunt.

Balnea in primis frigida et frigidae praesertim affusiones sive immersiones ab egr. Currie inter Anglos (6), inter nostrates vero a clariss. doct. Giannini (7) in usum prospero eventu iterum revocatae, atque experientia et observationibus suffultae optatissimum hoc perficiunt curationis opus. Antiquissimi ipsi Medicinae proceres hujusce methodi utilitatem probe agnoscentes frigidissimae aquae commendarunt usum iis in febribus, quas malignarum cognomento nuncupabant. Hinc Hippocrates, Galenus, Aetius, Celsus frigidis balneis utebantur; neque serioris aevi celebriores clinici ab hac via recedere visi sunt, quin imo aegros febre ardente contagiosa, typho contagioso epidemice grassante, typho icterode, febri maligna, scarlatina, miliari, morbillis, variolis et teterrima ipsa peste conflictatos frigidis

balneis et affusionibus se vel sanitati omnino restituisse, vel saltem hosce morbos mitiores fecisse testantur. Hanc ipsam methodum ab illustr. Cons. et Prof. Eq. V. A. Brera, quem studiorum meorum ducem inclitum et magistrum amantissimum honoris gratia, dum vivam, gratoque animo jactabo, biennali hoc clinico in Instituto meae praxeos medicae curriculo, in typho contagioso febribusque exanthematicis felicissimo eventu egomet vidi non semel usurpatam. Neque hoc uti vetat validissimo subsidio quae inde interdum irritativae contagionum conditioni copulatur diathesis sive hyposthenica sive hypersthenica, modo tamen aptissimis huic complicationi eodem tempore prospiciatur remediis.

Quum hoc frigidissima balnea perficere videantur, ut nimirum caloris materies pedetentim a corpore, cui applicantur, extricetur et abeat, proximiori hinc atque arctiori inter se se junguntur foedere organicae moleculae, rigent atque tenduntur fibrae hoc pacto robustiores factae; indeque evanescit penitus, vel maxima parte imminuitur ea morbosa reactio, quae opportunitatem sive aptitudinem sistit ad physico-chemicas contagionum operationes; quo fit ut maleficae particulae per communia emunctoria optatissimo fato eliminentur. Hisce positis, unicuique planum est frigidas affusiones efficaciores utilioresque pos-

se fieri si aliquod cum aqua permisceatur acidum, vel si aquae simplicis loco aqua maris adhibeatur, iisque in casibus minime convenire, in quibus contagiosus morbus localem phlogosim aut diathesim exquisite hypersthenicam cum plethora sociam habeat et comitem.

Neque mira haec antedelitescens vis solis tribuitur frigidis affusionibus; alia etiam ad hoc remedia a nostrae aetatis medicis summis laudibus cumulantur; quin imo eo nonnulli devenerunt, ut putarent unumquodque contagium specificis affici posse atque debellari substantiis. Hinc, ut de aliis sileam, piper cajena a nonnullis, ab Harles acidum hydro-cloricum et nitricum, a Reil rus toxicodendron, a quibusdam collutoria ex solutione lapidis chirurgorum caustici, ab aliis alia in scarlatina praecavenda perinde ac specifica praedicantur. Has tamen inter res antedelitescentes primum jure ac merito sibi vindicant locum in typho contagioso praesertim tum simplici tum complicato curando praeparata mercurialia cum herba illa, quam *belladonna* vocant, conjuncta.

Jam citatus Giannini frictiones cum mercurialibus praeparationibus absolutas maximae utilitatis esse in typho peticulari compertum habuit, et illustris Gmelin mercurium dulcem veluti specificum praedicat commendatque quam maxime in miliari morbo praecavendo. In dubium vero

revocat egr. Allionius, an mercurius sublimatus corrosivus, qui adversus siphilidem miram praestat utilitatem, ad morbum miliarem declinandum possit fidenter adhiberi. Hydrophobiam, scarlatinam, siphiliticum morbum, variolas, morbillos, dysenteriam contagiosam se vel prorsus debellasse, vel horum morborum malignitatem temperasse per mercurii praesertim dulcis administrationem summi asseverant atque peritissimi clinici. Verum quanta sit mercurialium praeparatorum virtus atque efficacia in omnibus curandis contagiosis aegritudinibus omnes ferme conveniunt auctores, et passim in eorum operibus prostant exempla, quibus haec mercurialium potestas omnibus remanet numeris confirmata: dissentiunt autem inter se se Medici, quando de illorum agendi modo sermonem habent; alii enim deprimentem, incitantem alii eisdem tribuunt actionem. Si quis vero quae assumptum mercurium consequuntur phaenomena pacato aequoque animo velit considerare, is facile comperiet eos toto caelo a rei veritate aberrasse, qui proprietatem in mercurio contra-stimulantem inesse arbitrati sunt. Qui enim fieri potest, si hydrargyro vis est contra-stimulans, quod cordis et arteriarum actio adeo interdum sub ipsius administratione concitetur, ut non raro ad compescendum inde enatum incitamentum repetitis sanguinis de-

pletionibus opus sit? Si rem igitur aequa lance perpendamus, duplicem, uti notavit eximius Praecept. Brera, mercurialibus inesse virtutem fateamur oportet, alteram qua oxygenium, quo scatent, organicae assimilationi impertiunt, alteram qua fibras vivi corporis in morbosum erethismum adducunt et irritant, effectus supra vitalitatem iis simillimos suscitando, quos dynamicae materiei contagiosae operationes solent producere. Qua de re vel hoc contingat, ut per mercurialium oxygenium neutra reddantur contagia, quod nonnullis arridet; vel hoc fiat, ut per antagonisticas irritativas vires inde suscitatas organicae moleculae alacrius contagiosis principiis resistant, eaque facilius a corpore extrudant: hoc semper indubium erit habendum, vim hydrargyro atque proprietatem esse irritativam et ad contagiosas aegritudines curandas ut quum maxime proficuam. Eadem irritante gaudent potestate balnea frigida, quae bifariam mercurialium virtutem praeseferre potis erunt, quoties acidae substantiae cum aqua simplici ad balnea paranda commisceantur.

Majorem in mercurio efficacitatem tum in hydrophobia pertractanda, tum ad febres typhoideas profligandas comperuit clariss. Praec. Brera, quoties mercurialia cum *belladonna* nupta praebeantur; atque sub eorum administrationem arteriarum actionem, vel, ut dicunt, arteriositatem ma-

gnopere adauctam fuisse etiam observavit. Utrum vero absque mercurii connubio per se sibi satisfacere possit atropa ad moderandam vel funditus abigendam physico-chemicam contagionum operationem, nondum fuit observationibus compertum, quamvis in scarlatina praecavenda utpote specificum remedium fuerit commendata. Verum vegetabilia virosi generis, quae cum atropa-belladonna actionis cognatione revinciuntur, poterunt ne ipsius atropae vices personamque gerere? Hoc quidem non admodum experientia docuit rerum omnium magistra; longius tamen a veritate videor non distare, si dicam hyoscyamum, cicutam, aconitum, datura stramonium et hoc genus alia in atropae locum suffecta eosdem edere posse miros salutaresque effectus.

Atque ut de aconito napello aliquid proferam, jam notum quibuslibet est, Materiae medicae scriptores quamplures animadvertentes insensilem perspirationem ex assumpto aconito ita adaugeri, ut in sudorem non raro abeat, atque urinas eodem tempore copiosius cieri, hoc remedium inter diaphoretica reposuisse. Clinici autem omnes ad delitescentes morbos contagiosos vel temperandos vel praecavendos utilissimum esse praesidium jam monuerunt diaphoresim uberrimam provocare, praesertim si contagium per cutis organum penetrasse suspicari possit, aut alia aperire

emunctoria: quam ob rem rationi consentaneum omnino est aconitum, quod functiones cutis adjuvat et promovet, ad delitescentiae ac invasionis stadium secundis expugnandum auspiciis valere posse. Verum aliud habemus momentum, uti perbelle notavit illustr. Pr. Brera (8) quam maxime attendendum in assignandis hujusce plantae virtutibus. Hoc enim vegetabile animalibus propinatum, puta lupis, canibus, felibus, muribus, ea inter vomitum, singultum, dysphagiam, et truculentas convulsiones violenta enecat morte; quare proprietas ejus dynamica in virulenta irritativa actione videtur quaerenda. Praeterea phosphas calcis, materies in organismi compositione insignis, quam per analytica experimenta ab hac stirpe obtinebat clariss. Reinold, vim napelli irritativo-chemicam magis magisque et probat et confirmat. Quod si, Stoerkio teste, tum morbi napello cedunt, cum supra cutis superficiem pustulae erumpunt rubicundae, acri humore refertae et moleste prurientes, argumentum habemus satis clarum hanc irritativam proprietatem in systemate dermoideo praecipue manifestari, quae deinde ad renes per antagonismi leges protenditur. Quod quum ita sit, hujus plantae physico-chemicam actionem organicam cutanei textus assimilationem recta petere nemo profecto inficiabitur. Optime hinc in Commentariolo su-

perius citato Praeceptor noster scripsit: »In siffatti casi (in affectionibus nempe cutaneis psydraciae et herpetis formas vestientibus) la prescrizione dell' aconito napello riesce di eccellente presidio, essendo provato dall' esperienza, che la cresciuta innormale attività (del processo vegetante) non si toglie se non dietro gli effetti irritativi di alcune potenze virose, quali si riscontrano nel nostro rimedio. Nè di minore utilità è da calcolarsi in simili incontri la sua proprietà fisico-chimica, in quanto che somministra all' assimilazione un indispensabile materiale, quale si è il fosfato di calce; come per questo stesso titolo riesce di eminente profitto l' amministrazione dell' aconito napello nelle cutanee malattie di origine contagiosa, quali sono quelle che partono da un avanzo celtico, o da un particolare contagio».

Quod de belladonna et de napello diximus, de aliis etiam hujusce generis remediis dicatis velim, quae omnia ne academicae disceptationis limites praetergredi videar, libenti animo missa faciam. Verum fortasse exspectabit aliquis ut de substantiis agens antedelitescentibus astrum quoque montanum ad hydrophobiam praecavendam recens commendatum meritis attollam laudibus. Quod quidem onus non invitus susciperem, si quae de hac planta praedicantur mirificae pro-

prietates firmioribus inniterentur observationis et experientiae fundamentis, nullaeque a Botanices cultoribus de germano ejus genere moverentur dubitationes. Quae enim planta a nostratibus *astri-montani* nomine vulgo salutatur, stirps est, quam systematici nuncuparunt *buphthalmum salicifolium;* dum apud Dalmatas vulgari sermone *astri-montani* ea stirps videtur designari, quae a Linn. *inula squarrosa* vocatur (9). Cuinam ergo harum plantarum fides erit habenda? Num buphthalmo nostro? Sed clariss. Vallisnerii, aliorumque etiam recentiorum medicorum experimenta hujus plantae antedelitescentem virtutem minus aptam plane demonstrarunt. Quid ergo? In inula fortasse spem nostram tuto reponemus? Licet ab institutis observationibus aliqua in extracto astri-montani dalmatini ab iis, qui reipublicae moderandae praesunt, divulgato virtus videatur inesse ad delitescentem hydrophobiam praecavendam idonea, vereor tamen ne tempus et subsequentes periclitationes, quod de aliis etiam contigisse saepe vidimus, nos tandem monitos certioresque faciant tantam in astro-montano non adesse virtutis efficacitatem, quantam obtineri posse, et se assequutos revera fuisse philanthropici quidam nostrae aetatis medici autumarunt.

Antimonialia, quippe quae diaphoresim pro-

movent, laudantur etiam commendanturque a rerum medicarum scriptoribus inter remedia antedelitescentia: et quidem non immerito; adaucta enim per eorum irritantem actionem cutis functione, noxia morbosaque elementa promptius ab organismo expelluntur.

Sed quum compertum observatumque fuerit eo minorem esse absorbentium vasculorum per cutim ubique dispersorum actionem, quo magis ipsa cutis dura est uncta, et compacta, eos dixerunt nonnulli se posse a contagiis immunes servare, vel etiam delitescentiae stadium aut praevertere aut temperare, qui oleosis inunctionibus per universam corporis superficiem, cum oleo praesertim olivarum, institutis saepe atque saepius uterentur; cujus rei utilitatem extra omnem dubitationis aleam reponunt quamplurima exempla.

Mirum profecto cuicumque debet esse quantum in omnibus doctrinis disciplinisque perficiendis attenta profuerit observatio! sed dolendum magnopere est quod non raro statim ac aliqua prosperi eventus affulsit spes, illico in auras ceu fumus evanuerit! Hac duce et auspice observatione praeteritae aetatis Medici in spem adducti fuerunt, ut per contagionum inoculationem contagia ipsa mitiora evaderent: qua de re saeculo praesertim proxime elapso inoculandarum

contagionum methodus acerrimas inter medicos ac litigiosas suscitavit dissensiones. Siquidem alii et emunctae naris medici rei utilitatem plenis buccis commendarunt, alii et famigeratissimi viri omni ope atque opera reprobarunt.

Neque minus acriter inoculationi contagionum ope a contagio, quod praecavere studemus, diversarum adversati sunt artis nostrae doctores; etenim virus vaccini, quod ipsi Dii caelitus videntur demisisse tantae necis commiseratione permoti, ipsius vaccini virus praestantiam utilitatemque scriptis dedita opera evulgatis infirmare studuerunt. Verum licet variola vaccina, inoculatione facta, hominem per totum vitae suae curriculum a variolarum naturalium actione immunem servare minime visa sit, quis tamen tantae umquam erit dementiae ut sibi aliisque persuadere velit mirum hoc utilissimumque in arte medica inventum vel noxium fuisse, vel nullum prorsus attulisse emolumentum? Atque hac in re observatum etiam fuit eos, qui olim contagio aliquo correpti fuerunt, mitiori gradu aliarum contagionum virulentam actionem percipere; cujus rei exemplum in iis habemus clarissimum, qui variolis veris quum semel laboraverint, funestissimis effectibus, quorum vaga venus feracissima esse consuescit, minus in posterum evadunt obnoxii.

Praestat tandem, ut antequam orationi meae finem imponam, quaedam etiam quasi praeteriens exponam de *antanacrasiacis*. Circa fumigationum, quas *disinfectantes* vocant, virtutem ac vetustatem medicorum vulgus multopere disputavit; verum minime in dubium videtur esse revocandum primos medicinae proceres suffimenta omnia omnino latuisse, quamquam sulphuris vapores ad graveolentes exhalationes dissipandas adhibitos fuisse reperiatur in eorumdem scriptis. Guytton-Morveau primus fuit, qui novis chemiae principiis innixus ad depurandum aerem tum cadaverum putrescentium, tum aliorum principiorum effluviis inquinatum, suffitum muriaticum in usum deduxit; et non multos post annos Carmichael Smyth Anglus in observandis atque pensitandis vaporis acido-nitrici effectibus ad aerem in locis inhabitatis depurgandum sedulam navavit operam. Utrum vero Guyttonii, vel Smythii suffimenta aptiora sint atque anteferenda, non dixerim; siquidem medicorum opiniones in contraria scinduntur studia. Angli enim Smythianam methodum summis exornant laudibus, eique palmam facile concedunt; Galliae contra medici Guyttoniana suffimenta quam maxime commendant. Quando prior, quando postrema methodus indicata sit et conveniat, perbelle docuit illustr. Cons. Eq. V. A. Brera in citato suo

opere De contagiis. Quod vero a cloro potius quam ab oxygenio repetenda sit suffituum efficacitas, satis constat ex actione oxygenii puri, quod ad provocandos optatos effectus impar omnino est, nisi cum aliqua conjungatur clori portione. Quare huic postremo diversis proportionibus cum oxygenio conjuncto suffituum actio antanacrasiaca est tribuenda.

Disputatur etiam inter chemiae et medicinae cultores de hac clori in contagiis dissolvendis virtute. Praestat profecto de re adeo obscura atque incerta nihil conjectare, quam variis opinionibus, ipsisque parum accuratis neque ad rem bene explanandam idoneis nosmet irretire. Tamen, quomodocunque res sit, satis certum habemus horum vaporum exhalationes talis esse indolis atque naturae, ut quum ad contactum devenerint cum principiis contagiosis, quamdam suscitare valeant chemicam operationem, cujus ope particularum contagiosarum integritas deperditur atque aboletur, earumque effectus vel paene vel penitus ab humano organismo declinantur. Tali pacto vaccinum virus loco calidiori asservatum, nimiaeque expositum luci post aliquot horas decomponitur resolviturque, neque ad pustulas per insitionem ingenerandas, nisi fortasse spurias, amplius reperitur idoneum. Quum autem in diversis epidemiis diversae sint atque

variae elementorum compositiones, ex quibus moleculae contagiosae constituuntur, cuicumque medico-chemicis disciplinis vel leviter imbuto dispicere expeditissimum erit in constanti proportione substantiarum suffitus componentium inquirendam esse suffituum ipsorum minus aptam vel omnino mancam efficaciam.

Praeter recensita praesidia, quae a Practicis summopere utilia omni jure aestimantur, alia quoque fuerunt in contagionum actione praecavenda vel mitiganda non exigua cum utilitate usurpata. Hinc summo habentur in pretio apud auctores quamplurimos frictiones siccae, vel cum pannis vaporibus aromaticis imbutis, aut cum oleo olivarum peractae, lotiones cum aqua simplici, vel cum aqua calcis, ignis, aliaque hujus indolis, quae omnia utpote minus efficacia, minusque observationibus confirmata, satis sit in praesentiarum adnumerasse.

Haec vix habebam, quae dicerem de arduo nimisque gravi hoc argumento, quod quum tractandum suscepi, me potius et utilitas et officium, quam captandae popularis aurae urgebat cupiditas; eo siquidem adductus sum, ut celeberrimorum virorum observata referens medicos quodammodo monerem, inter innumeras medicamentosas substantias quasdam esse, quae actione eminenter locali et topica quum polleant, assimi-

lationes organicas peculiares et dynamismum simul specifico quodam modo mutant afficiuntque, proindeque in remediorum distributione non ultimum iis locum constituendum assignandumque esse, quae vel contagia per aerem dispersa, aut rebus, quas obiter et saepius manibus contrectamus, adhaerentia chemicae affinitatis vi dissolvunt, vel contagionum jam in organismum introductarum, et physico-chemicos destructionis processus clanculum operantium virulentam internecivamque actionem aut praevertunt, aut mirum in modum cohibent, infringunt, compescunt. Priora *antanacrasiaca*, postrema *antedelitescentia*, uti jam ab initio diximus, et designari volumus et nuncupari. Ceterum non inficiamur (magno quidem animi nostri dolore) plurium earum rerum, quas exposuimus, medicas facultates ambiguitatibus adhuc dubiisque bene multis circumvolutas esse. Verum animo ne concidamus, neque falsis eorum rumoribus terreamur, qui nullum ab hujusmodi subsidiis promanare dicunt emolumentum; sed a prosperis eventibus, quos huc usque medici et doctrina spectabiles, et omni fide digni sunt assequuti, animum potius resumentes ad aegrorum salutem recuperandam, servandamque vitam nova tentemus strenua alacritate pericula. Neque spes nostra fictitiis nititur labilibusque fundamentis: videmus enim

quotidie tantum in scientias omnes atque doctrinas praesertim medicas a novis inventis lumen effundi, ut ea ipsa, quae densissimis admodum cooperta tenebris latitant in occulto, ad diei lucem tandem aliquando adduci non desperemus.

ADNOTATIONES

(1) *De actione et diathesi irritativa in considerandis morbis*. Dissert. Acad. ad summos honores in Med. et Chir. adsequendos. Patavii 1824.

(2) *De' contagi e della cura de' loro effetti*. Lezioni Med. Prat. Padova 1819. — *Prolegomeni Clinici*. Padova 1823.

(3) *Della natura delle febbri*. Tom. I. cap. 6. Milano 1805.

(4) Felix Pagliano a Rosigniano Casalensi Philos. et Chirurgiae Doct. ampliss. Taurinensis Chirurgorum Collegii candidatus an. 1816, die 19 Decembris hora nona matutina. Vid. Dissert. quartam *De statu phlogistico et nervoso etc.*

(5) Ved. le Lezioni sui contagi sopraccitate.

(6) *Medical Reports etc.* Liverpool 1798.

(7) Loc. cit.

(8) *Considerazioni medico-pratiche sull' uso dell' aconito napello*. Ved. Prospetto Clinico 1822-23.

(9) Illustris Botanices Professor Joseph Antonius Bonato, nomen cuilibet cognitum, hanc debita cautione pronunciavit sententiam, quam certiorem facere nova astri-montani dalmatini recentis inspectione sibi reservavit. Egr. ipse doct. De-Visiani, qui Botanicem pulcre callet, et in praesentiarum in hoc Archigymnasio sub titulo Assistentis Botanices Professori aggregatus est, quum plantam e Dalmatia ad nos missam observasset, eam esse astrum-montanum Dalmatiae (quod saepius ille apud hos populos usur-

pari vidit), atque ab astro-montano bassanensi diversum prima fronte cognovit. Hanc adnotatiunculam a cariss. amico et condiscipulo Jo. Philippo Spongia rogatus libenter subscribo; per quam ipse lectores monet, ne quis velit ei censoriam virgulam inurere, si in opere, cui titulus *Prospetto Clinico dell' I. R. Università di Padova* per l'anno 1823-24, sub articulo *Idrofobia* pag. 93, lin. 26 scripsit: »Il così detto astro-montano altro non è se non se il *buphthalmum salicifolium* dei Botanici»; siquidem eo tempore, quo hunc articulum conscripserat, nemo suspicabatur astrum-montanum Dalmatiae generis esse longe diversi ab astro-montano nostrate.

THESES

I.

Ut probe cura siphilidis absolvatur, eam praestat distinguere in idiopathicam vel topicam, in localem, et in constitutionalem.

II.

In topica siphilide non raro consensualia suscitantur phaenomena, quae maximi sunt facienda, ne aliquis in curatione obrepat error.

III.

Localis affectio siphilitica, circumscripta nempe in systemate lymphatico glandulari, Tompsonianae methodo prospere cedit; constitutionalis vero non nisi mercurialibus curatur praeparationibus.